

† R. P. Iosephus Pejška (1870-1946)

(Prov. Prag.)

E quinque sacerdotibus, quos anno 1946 Provinciae nostrae dura mors eripuit, R. P. Pejška, nonnullorum operum de iure sacro tractantium auctor haud ignotus, silentio non est praetereundus.

Confrater noster die 11 Martii 1870 in Přeboram, oppido in radicibus Montis S. sito, parentibus piis, qui III Ordini S. Francisci adhaerebant, natus est. Pater mercator, vir valde suavis et mitis, vultu semper hilari, domum et familiam suam bene curabat liberosque pie educabat. Frater germanus in Congregatione Calasantinorum ut professus laicus Vindobonae adhuc vivit. Iosephus studiis in gymnasio paternae civitatis operam dabat. Cum parentibus fere quotidie basilicam sacromontanam adibat, et ita gratiam vocationis ad vitam religiosam a B. V. M. Thaumaturga haud dubie obtinuit.

Anno 1884 iuvenatum in Ketzelsdorf ingressus, iam 1886 in novitiatum in Eggenburg abiit et tirocinio completo vota 1887 emisit. Magnis animi facultatibus praeditus, studiis in gymnasio finitis, examen maturitatis in Wiener Neustadt subiit. Deinde studiis theologicis in Mautern feliciter peractis sacerdotio 21 VII 1895 Graecii in Styria (Graz) initiatus et a. 1896 primus e Provincia (tunc Austriaca) Romam studiorum iuris canonici causa missus est. Simul cum eo R. P. Ioannes Hudeček, postea Consultor generalis, et Carolus Kašpar, postea Cardinalis Archiepiscopusque Pragensis, ibi commorabantur. In Instituto papali a. 1898 iuris canonici lauream adeptus, statim ad officia lectoratus destinatus est, primo in Mautern 1898-1902, deinde in Obořiště per 35 annos, 1902-1937. Confratres Provincia eum Vocalem secundum elegerunt pro Capitulo generali a. 1921. Multi sunt, quos historiae sacrae et iuris canonici Lector ad munera sacerdotalia praeparavit. In materia, quam docebat, optime fuit versatus; lectiones eius clarae, distinctae, iocis conditae.

Multa sunt, quae scripsit; e quibus hic, minoribus articulis litterariis omissis, tantum maiores elucubrationes enumeramus. Ad ius canonicum et historiam ecclesiasticam omnes pertinent. Iam a. 1910 edidit: *Ius sacrum C. SS. R.*, quod opus postea novo Codice iuris canonici promulgato recognovit iterumque typis mandavit. Liber tantum in usum Congregatorum exaratus est, «ast summe utilis, praesertim clericis studentibus ac iunioribus Patribus, ad iurisdictionem et examina se praeparantibus». A. 1927 sumptibus B. Herder libri editionem tertiam, omissis rebus nostris, tamquam *Ius canonicum religiosum* publici iuris fecit. Deinde ad opus bohemica lingua concinnandum accessit: *Církevní právo se zřetelem k partikulárnímu právu československému*. (Ius ecclesiasticum ius particulare cecoslovacum respiciens), opus in quo tractaturus erat quaestiones intro-

ductorias, ordinem hierarchicum Ecclesiae, ius matrimoniale, criminale et ius possidendi bona temporalia 5 voluminibus, e quibus tantum tria ad finem perduxit. In quo opere tractat quaestiones canonicas practice et historice. Omnia commemorata opera a iuristis ecclesiasticis nec non profanis magni aestimantur. Inter labores historicos excellit liber de ordine Paulinorum Eremitarum, qui olim etiam in Obořiště habitaverant, et opusculum occasione centenarii pretiosae mortis S. Clementis M. Hofbauer (1920) editum: *Sv. Klement M. Hofbauer*.

Praeter munus Lectoris etiam illud Ministri et Consultoris P. Rectoris suscepit. Laboribus minoribus apostolicis, quamquam officiis lectoratus impediatur, libenter tamen vacavit. Praeprimis qua director spiritualis iuventutis catholicae magnam aestimationem sibi conciliavit.

Per totam vitam genuinus S. Alfonsi filius erat, religiosus exemplaris, Congregationis amator. Caritate proximi et magna industria in laboribus eminebat, sicut pater eius semper suavis et vultu hilari apparebat. Omnibus affabilis, neminem laesit et recreationem narrationibus iocosis amoenam reddebat. Qualis amator orationis et cultor B. M. V. fuisset, novissima pars vitae plane ostendit. Vere diligebant se invicem B. Virgo et filius.

Mense Novembri 1937 apoplexia correptus, in collegium sacromontanum secessit, ut ibi «ultima Domini iussa expectaret». Tempus secundi belli cum tranquillitate animi perferebat, ut eo laetius aureum sacerdotii iubilaeum (1895-1945) inter confratres laetantes celebraret...

Brevi post morbus infaustus vires eius celeriter consumebat et per semiannum ante mortem ita deficere cernebatur, ut a mense Martio 1946 aegre divina celebrare potuerit. Ante Dominicam Palmarum in lectum in-vitus proiectus, partim domi, partim in nosocomio Přebramensi aegrotabat usque ad diem 8 Maii, quo festo Patrocinii S. Ioseph – ut optaverat – placide animam exhalavit, annos natus septuaginta sex. Corpus exanime die 11 Maii sollempni funere in coemeterio Přebramensi, magno numero sacerdotum, clericorum instituti et fidelium illud concomitante, terrae concreditum est. Memoria eius in Provincia Pragensi semper in benedictione erit. R. i. P.